


T. 160


9 Kienmeyer


Wohl wert

Stellen









Q. D. B. V.

Quaestio Theologica

UTRUM MORS CHRISTO DOMI- NATA FUERIT?

occasione Rom. VI, 9.

Summe Reverendæ Facult. Theol.

permissu

sub PRÆSIDIO

VIRI maxime Reverendi, Amplissimi, Excellentissimique

DN. D. VALENTINI ALBERTI,

Prof. Publ. Consistorii & Theologicæ Facultatis Assessoris,
Academiæ Decemviri, Collegii B. Mariæ Virginis Collegiati, ut &
Nationis Polonicæ Senioris, Alumnorumque Electora-
lium Ephori, de his aliisque officiis me-
ritissimi,

Dn. Patroni & Præceptoris sui

omni observantiâ etatem devenerandi

LIPSIÆ

In Auditorio Paulino

Ipsis Cal. Maji A. Christi clc LXXXVIII.

horis consuetis

P. P.

Ab Autore RESPONDENTE

JOH. CONRADO Quenmüllern/ Bischoffvv.


Literis CHRISTOPHORI GUNTHERI.

T 160



LIBRARIUM MORS
CHRISTO DOMI
NATA FIBRIS
Summe & ...
Dr. D. V. ...





I. N. 7.

§. 1.



Specimen aliquod profectuum Academicorum jussus ut ederem eo tempore, quo Salvatoris nostri Resurrectio à pio Christianorum cœtu lætâ mente recolitur, non abs re fore putavi dictum Scripturæ, quod eidem tempori maximè esset accommodatum, pro virili explicare. Codicem autem Sacrum evolventi præ cæteris arrisit locus ille vexatus, qui Theologorum ingenia maximè exercuit *Rom. VI, 9.* quem pro ingenii mei viribus ita explanabo, ut, Textu authentico & quibusdam versionibus præmissis, primùm in ejus accuratam analysin inquirem, postmodum quæstionem principalem proponam, sententiam veram demonstræm, & denique à secus sentientium opinionibus vindicem. Faxit Heros ille de tribu Juda, ut omnia cedant in Divini Numinis gloriam ac piorum solatium.

Fontes:

Εἰδότες ὅτι Χεῖρος ἐγερθεὶς ἐκ νεκρῶν, ἔτι
ἀποθνήσκει, Θάνατος αὐτῆς ἔτι κυ-
εῖναι.

Verfio Syriaca:

ܩܪܝܢܐ ܕܥܝܢܐ ܕܥܝܢܐ ܕܥܝܢܐ ܕܥܝܢܐ ܕܥܝܢܐ
ܕܥܝܢܐ ܕܥܝܢܐ ܕܥܝܢܐ ܕܥܝܢܐ ܕܥܝܢܐ ܕܥܝܢܐ

A 2

Vul-



Vulgata:

Scientes, quod Christus resurgens ex mortuis jam non moritur: Mors ei ultra non dominabitur.

Eraſmus:

Scientes, quod Christus excitatus à mortuis non amplius moritur, mors ei amplius non dominatur.

Lutherus:

(Wir) wissen / daß Christus von den Todten erwecket hinfort nicht stirbet / der Tod wird hinfort über ihn nicht herrschen.

§. 2. Antequam ad hujus textus Analyſin accessum faciamus, ſcopus ſcriptoris Θεοπνεύστῃ ante omnia probè est attendendus.

§. 3. Responderat nimirum Paulus Θεοπνεύστῃ sophisticationi & cavillo Pseud-Apostolorum, quo arguebant in peccatis esse permanendum, propterea, quod iis gratia divina reddatur abundantior *vers. 1.* desumpto argumento (1.) à Fidei justitiæ naturâ *vers. 2.* οἵτινες ἀπεθάνομεν τῇ ἀμαρτίᾳ πῶς ἐτι ζήσομεν ἐν αὐτῇ *q.d.* si justitiam fidei habentes à peccatorum jugo sunt liberati eorumque proprium est peccata vitare iisque valedicere, eorum minimè est peccatis indulgere. Id quod ulterius confirmarat *vers. 3.* à Baptismo in Christo Jesu, qui à parte DEI Justificationis nostræ instrumentum est. (2.) ab Oppositis *vers. 4.* Συνετάρθημεν ἐν αὐτῷ διὰ τῆς βαπτίσματος εἰς τὸν θάνατον. ἵνα ὡσπερ ἠγέρθη Χριστὸς ἐκ νεκρῶν διὰ τῆς δόξης τῶν πατέρων, ἕτω καὶ ὑμεῖς ἐν καινότητι ζωῆς περιπατήσωμεν, *q.d.* Surgere debent justificati à peccatis, ergò in illis perseverandum non est. Antecedens patet, quia Christus propter eos resurrexit; ast propter quos Christus resurrexit à mortuis, illis etiam resurgendum est à peccatis quod probatur *vers. 5.* (3.) iterum ab Opposito, adjectâ tamen aliâ illustratione

tione, dum comparat mysticè crucifixionem veteris Adæ cum crucifixione Christi v.δ. τῆς γνέσκοντες, ὅτι ὁ παλαιὸς ἡμῶν ἄνθρωπος συνεσαυρώθη, ἵνα καθαρῶς ἦ τὸ σῶμα τῆς ἁμαρτίας, & μηκέτι δαλέυσεν ἡμᾶς τῇ ἁμαρτία, q.d. Crucifixione Christi abolitum est corpus peccati seu vetus homo, ergo ei justificatos servire non decet. Connexionis rationem suppeditat *vers. 7.* in generali sententia, diversis quidem sententiis obnoxia, quas tamen huc transferre nostri instituti vetat ratio. Vidente igitur Apostolo multum referre, ut pii nossent, resuscitationem & mortē Christi quatenus etiam piis tanquam Exemplar ob oculos ponuntur, cohærere; Idem *vers. 8.* inculcat εἰ δὲ ἀπεθάνομεν σὺν Χριστῷ, πιστεύομεν, ὅτι καὶ συζήσομεν αὐτῷ. Atque hęc occasione ad verba nostra, quorum diductionem meditatur, dilabitur, & de morte Christi hęc attexit, quod postquam semel fuerit præstita, nullatenus iteranda sit. Ubi obiter observamus in Interpretatione Syriacā hunc nostrum novum versiculum cum antecedente octavo mediante particulā **καὶ** enim, in textu Græco authentico atque fundamentali non occurrente, connecti. Utut verò secundum intentionem Apostoli primariam hęc verba ab Apostolo eum in finem adducuntur, ut quemadmodum Christus pro hominum delictis semel moritur, neque ullo modo dominio mortis subesse potest; ita etiam per fidem in Christum justificati à peccatis, à quibus per Christi mortem semel fuerint liberati, abstineant, nec amplius operibus mortis succumbant, sed vitam instituant sanctam, & DEO vivant in Christo Jesu (conf. *B. Balduinus paraph. ad h. l. p. m. 392.*) nobis tamen dictum illud Apostolicum secundum intentionem secundariam atque extra contextum considerare atque enucleare licebit.

§. 4. Quo verò accuratius omnes & singulas circumstantias pensitare queamus, duas formabimus Propositiones Logicas: quarum prior est: Christus, qui ex mortuis resurrexit, non amplius moritur; posterior autem; Mors Christo ἐγγεθέντι quod repetendum existimamus) ultra non dominabitur. Hęc Propositiones tametsi nonnullis videntur Synonymicæ, nemo tamen, spero, vitio nobis vertet, si utramque peculiariter resolvamus.

A 3

§. 5. Prio-

§. 5. Prioris igitur 1.) Subjectum est *Χριστός* Christus, non ita nudè consideratus, sed addita quâdam descriptione à Resurrectione, *ἐγερθεὶς ἐκ νεκρῶν*. 2.) Actus, *ὅτι ἀποθνήσκει*. 3.) adjunctum duplex, alterum in voce *ἔτι*, alterum in voce *εἰδότες*.

5. 6. Propositionis posterioris 1. Subjectum est *θάνατος*. 2. actus, *ὃ κερμένει*. 3.) Objectum *αὐτὸ* scilicet *Χριστὸς ἐγερθεὶς*. 4.) adjunctum iterum duplex ut in priori thesi, alterum in vocabulo *ἔτι*, alterum *εἰδότες*, quod etiam *ἀπὸ τῆς κοινῆς* perspicuitatis ergo repetendum esse arbitramur.

§. 7. Brevi hac Analyfi Logica præmissa ad enucleationem Philologico - Theologicam singularum vocum cum Deo accessum facimus, monito in antecessum Benevolo Lectore, varias Autorum interpretationes hic non promitti, quippe quæ in Commentariis, quos exscribere nihil juvat, passim obviæ sunt. Nostrum autem propositum est sensum textus mediorum hermeneuticorum adminiculo & locorum parallelorum sedula collatione simplicissimè indagare, indagatumque ad scopum nostrum applicare.

§. 8. Primo loco vocabulum *εἰδότες* comparet; cuius Synonymon Apostolus in versu antecedente sexto usurpaverat, *τῶν γινώσκοντες*, hoc scientes, quod vetus homo noster simul crucifixus est, ubi Syrus eadem voce utitur, quâ in nostro textu nempe *يَدْرِي* scientes nos, in quâ non solum actus sciendi, sed etiam subjectum (scilicet in suffixo primæ personæ) innuitur. Hâc autem voce Apostolus cuilibet mortalium, præprimis justificatis dignitatem eorum, quæ in sequentibus probè cognoscenda proponitur, indicat, prout sæpenumero hoc Nota bene (ita enim vocare liceat) in sacro usurpatur codice; v. g. *Eph. VI. 8. εἰδότες ὅτι ἐάν τι ἕκαστος ποιήσει ἀγαθόν, τὸ τοιοῦτον κερμένει* 1. *Pet. V. 9. εἰδότες τὰ αὐτὰ τῶν παθημάτων τῆ ἐν κόσμῳ ὑμῶν ἀδελφότητι ὑπελείπει*, cuius loco tempora Synonymica S. Johannes usurpare solet. v. g. 1. *Joh. III, 5. καὶ οἴδατε ὅτι ἐκένθη ἐφανερώθη, ἵνα ταῖς ἀμαρτίας ὑμῶν ἀγρη* *ibid. v. 14. ὑμεῖς οἴδατε ὅτι μεταβεβήκαμεν ἐκ τῆς θανάτου εἰς τὴν ζωὴν*. Innuitur autem hâc voce primus actus Fidei, notitia, quæ præter assensum & fiduciam necessa-
riò

riò ad naturam fidei requiritur, conf. exemplum Pauli, οἶδα γὰρ ὃ
πεπίστευκα 2. Tim. I, 12. & Jobi XIX, 25. dicentis אֲנִי יָדַעְתִּי גְּאֻלִּי הוּא
ubi verbum יָדַע idem est ac אָדַע quod in nostri textus Syriacâ
Interpretatione occurrit. Notanda etiam probè contra Papi-
stas sunt Synonyma, ἀπίγνωσις Col. I, 9. Σύνεσις Matth. XIII, 19. Γνω-
σις Luc. I, 77. Νόησις Cor. XI, 3. conf. Matth. XIII, 23. Gal. IV, 9. quique
hâc notitia privantur ἀνόητοι audiunt Luc. XXIV, 25. conf. Matth. IV,
16. Es. IX, 1. Cum verò hæc notitia à Deo in nobis accendatur per
verbum Ps. XXV, 4. 14. Ps. LI, 8. facile patet, non nudam h. l. innui-
cognitionem, quæ etiam in impios imò Diabolum ipsum Jac. II, 19.
cadere potest, sed practicam conf. Job. XIII, 17. & Gerhardi Confess.
Cathol. Lib. 2. part. 3. art. 23. c. 1.

§. 9. Vocabulum ὅτι (quod Syrus per suum ? explicare
voluit) alias variis significationibus est obnoxium dum modò
causam impellentem Marc. IX, 11. Luc. II, 49. modò efficientem Luc.
II, 44. modò finalem (loco ἵνα Matth. XIII, 13. Luc. II, 10. Marc. IV,
12. modò effectum Luc. VII, 47. modò temporis adjunctum (pro ὅτε
Job. IX, 8.) modò diversitatem Luc. XXIII, 40. Act. I, 17. modo restri-
ctionem Job. V, 27. modò declarationem Luc. XVI, 15. 1. Job. III, 20.
notat; ac interdum planè abundat, quando alicujus verba citantur,
ut Matth. IX, 18. Rom. III, 8. &c. Attamen cuilibet patet h. l. commu-
nissimam ejus significationem obtinere, dum notat, quod & cum
Indicativo construitur, uti vel ex solâ vulgatâ & Erasmi versione
constat. Neque ulla apparet necessitas, propter quam alia quæ-
dam significatio ex modò recensitis sit eligenda, præprimis cum
significatu communi retento sensus simplicissimè ac planissimè
fluat.

§. 10. Explicato sic priori adjuncto sistit se propositionis pri-
mæ Subjectum, quod est χεῖρὸς, vox quoad Etymon cuilibet nota.
Notat enim unctum, uti Ebræum מַשְׁמָח cum quo hic loci occur-
rens Syriacum ܡܫܚܘܡ convenit; vid. Gerhard. L. 4. de Perso-
na Christi. Raymund. Pug. Fidei fol. 423. & alibi passim, ubi varia
Christi nomina occurrunt. Quemadmodum autem hic Salvator
qui resurrexit, tanquam Subjectum quod, ut Θεῶν ἑξωπῶ Joh. I, 14.
Rom.

Rom. IX, 5. est considerandus: ita certum est, Subjectum quo, resurrectionis & quidem remotum nullum esse aliud, quam ejus humanam naturam, proximum autem corpus idem substantia & numero quod antea ceciderat sepultumque fuerat at novis vestitum qualitatibus, *Phil. III. 21. Conf. König. Theol. Posit. p. 175.*

§. II. Hinc statim descriptio Resurrectionis adjicitur, ἐγερθεὶς ἐκ νεκρῶν. Vocabulum ἐγερθεὶς (ab ἐγείρω) notat excitatum, suscitatum, expergefatum, ex quo tamen significato passivo colligi nequit, Christum non propriâ virtute è mortuis surrexisse. Utrumque enim veritati consentaneum est, & Christum à Patre fuisse resuscitatum *Act. III. 13. 15. II, 24. Eph. I, 20. Rom. IV, 24. II, 11. X, 9. 2. Cor. IV, 14. 1. Thess. I, 10.* adeoque ὄντως ac verè surrexisse, *Luc. XXIV, 34.* & seipsum resuscitasse, animamque corpori suo univisse (quò respexit Syrus, dum reddidit ἐγερθεὶς per $\chi\omicron\varsigma$ quem *vulgatus*, qui resurgens vertit, sequitur) & die tertio *Matth. XII, 40.* è sepulchro egressum esse *Matth. XXIII, 2. 6. Rom. I, 4.* aliisque apparuisse. Principium enim agendi est potentia verè & merè divina. *Rom. I, 4.* Ipsi etiam carni humanæ ex unione personali competens; vid. *Coll. II, 9.* quam filius cum Patre communem habet *1. Joh. V, 7. Joh. X, 30.* Hinc etiam ὡσπερ ὁ πατὴρ ἔχει ζωὴν ἐν ἑαυτῷ *Joh. V, 26.* Habuit Christus potestatem animam suam ponendi & resumendi *Joh. X, 18.* ac destructum in morte corporis sui templum miraculosè ædificavit *Joh. II, 18. 19.* quod non tantum contra Judæos, Turcas & Gentiles observandum est, qui Christum surrexisse inficiantur, conf. *Matth. XXIII, 15.* Verum etiam contra Socinianos, qui πῶς καὶ λαξ probare conantur, Christum nullatenus virtute propriâ se suscitasse, vid. *Socin. Disp. de Unigeniti Filii Dei essentia cum Erasmo Johannis* (qui Christum suâ virtute ex morte surrexisse ex *Joh. II, 19. X, 18.* probaverat) *Resp. ad arg. f. 117. seq. 5^a defens. Animadvers. in Assert. prima Colleg. Possnan. contra Eutropium c. 4. Part. 3. fol. 151. Catech. Racov. c. XII. de officio regio q. 4. Sic Melchior Schæfferus* Apostata peculiari Tractatu Germanico Christum seipsum excitasse negavit; Conf. etiam Objectiones veterum Photinianorum apud *Hieron. 5^a Ambros. ad Gal. I, 1.* quibus post alios accuratissime satisfecit *B. Dn. D. Scherzerus Coll. Anti-Socin. p. 601. seq. edit. recent.* Insuper autem notandum quod Resurrectio Christi vel præcisè possit accipi, prout

pro ut est affectio humanitati propria vel complexè, quatenus est actus officialis meritorius utrique naturæ in Christo competens, eum in finem susceptus, ut de victoriâ plenariâ reportatâ pii certificarentur, ipsisque beneficia morte Christi parta explicarentur.

§. 12. Non autem nudè dicitur Christus ἐγερθεῖς (uti aliàs vocabulum hoc ἐγείρω vice simplici ac nudè de Resurrectione usurpatur 2. Cor. IV, 14. εἰδότες ὅτι ἐγείρωσ τὸν κύριον Ἰησοῦν, καὶ ὑμᾶς διὰ Ἰησοῦ ἐγερθεῖς conf. Luc. III, 8. Matth. XXVII, 63.) verùm additur etiam Terminus à quo, ἐκ νεκρῶν conf. Rom. IX, 11. Ubi obiter notamus vocabulum ἐκ discrimine sanè minimo ab Erasmo per a, à Vulgato interprete per ex esse redditum. Tota verò phrasis à Syro fuit versa ܐܘܢ ܕܡܘܬܘܪܘܡ ex domo mortuorum, quibus verbis nihil aliud, quàm Christum verè esse mortuum (conf. Phil. II, 8. ubi Ἰησοῦς σαυρῶς Apostolus mentionem facit) indigitatur, adeò, ut mors ejus, etiam in discessu animæ ex corpore, & non in nudâ animæ λύσει seu solutione constiterit. Id quod maxumè confirmari potest ex Luc. XXIII, 43. ubi Christus Latroni, qui pœnitentiam egerat, dicit: σήμερον μετ' ἐμῶ ἐσθι ἐν τῷ παραδείσῳ. Sicuti ergo Latronis anima à corpore separata in Paradisum pervenit: ita etiam animam Christi, quæ etiam in Paradiso fuit, separatam esse necesse est: ut illa loca, quibus Christus Spiritum emisisset, exspirasset, animam de posuisse dicitur, taceam. Conf. Job. XIX, 17. 18. 30. Luc. XXIII, 46. Marc. XV, 36. & B. Feuerborn. Κενωσιγραφή. Sect. III. fol. 88. seq. Ex quibus facillè colligi potest, qui ded sententia illorum, qui mortem per solam λύσιν animæ à corpore definientes in triduo mortis animam Christi localiter & verè à corpore ejus separatam fuisse negant, sit judicandum. Conf. Osiandr. Senior. Append. Disp. de Omnipresentia thes. 43. p. 12. Nequaquam tamen corpus Christi mortuum cadaver extitisse dicendum est, quippe quod nunquam vidit corruptionem, Act. II, 31. col. Psalm. XVI, 10. 1. Petr. I, 18. 19. Sed per mortis triduum in ἑαυτῶν personæ suæ mansit. Id quod contra Beza notandum, qui corpus Christi cadaver esse ad Act. 2. blasphemè dixit, cum quo etiam facit Episcopus Lib. III. Instit. Theolog. c. 17. nec non Wolzogen Tom. I. Opp. f. 414. Nec illud omittendum, quod Christus animam & corpus in triduo mortis intra suam personalitatem retinuerit, & fuerit sic verè noster Sacerdos Θεάνθρωπος

πⓄ Ebr. VII, 3. Matth. XII, 20. Act. XX, 28. Uti non dicendum rupto vinculo naturali ruptum esse vinculum Personale; Christus enim, quod semel assumpsit, nunquam deposuit: vid. Damasc. lib. 3. Orthodox. fid. cap. 7. & Meisn. Qu. II. vex. §. 38. ubi Scotum & Gabrielem allegat, qui in mortis triduo Christum hominem fuisse inficiantur, haud meliores Socinianis, qui Christum in morte esse & existere desisse existimant, ex pessimâ suâ hypothesi, quâ mortem idem esse ac non existere contendunt.

§ 13. Considerato verò Subjecto progredimur ad actum & adjunctum alterum prioris Propositionis Logicæ, quæ sequentibus absolvuntur *οὐκ ἔτι λπο θυήσκει*, ubi notandum 1.) quod Syrus præfixum Copulativum *ο* interfecit *ἤα* & non amplius moritur, quod videtur inde factum, quod interpres præcedentem vocem *ἐγγεθεῖς* non per participium, sed per aliud tempus, reddiderat, ac proinde necessario copulativum *ο*. addendum fuit. 2) quod voces, *οὐκ ἔτι*, vel conjunctim ut h. l. vel divisim (ut in posteriori propositione factum est) scribantur, 3.) quod eadem voces *οὐκ ἔτι* melius reddantur per *non amplius*, *nicht mehr* / Luth. *hinfort nicht* / Syr. *ἤ 20* iterum non, conf. Matth. XXII, 46. quàm per *non jam*, quod vulgato in hâc priori propositione arrisit, in posteriori per *ultra non* vertente. vid. de hâc voce Parallela, *μηκέτι* Job. IIX, 11. 2. Cor. V, 15. Rom. VII, 17. 20. Gal. III, 8. Hic verò illud monendum, quod hoc adverbium temporis continuativum negans (ita enim à Philologis vocari solet, conf. Glass. Philolog. S. lib. III. Tract. V. can. XI. de adverbis) interdum planè nullum respectum ad tempus illud, quod antecedit, habeat, sed simplicissimè pro non negativo sit accipiendum. Vulgatus quidem usus hujus adverbii is est, quem intimavimus, quo significat *non amplius*, adeoque tempus præcedens respicit, de quo (tempore præcedenti id asserendum est, quod vi particulæ negantis in tempore sequenti negatur. Sic quando v. g. Eph. II, 19. *ἀρα ἔτι οὐκ ἔτι ἐσὲ ξένοι καὶ πάργιοι*, dicitur sensus est: antea quidem *ξένοι καὶ πάργιοι* fuistis, sed opera vobis danda, ne amplius sitis. Idem etiam habendum de locis sequentibus Eph. IV, 28. *ὁ κλέπτων μηκέτι κλεπέτω*. 1. Tim. V, 23. *μηκέτι ὕ-*

τι ὑδρὸς πότι *Job. V, 14.* Sanus factus es μηκέτι ἀμάρτανε *Matth. XXI,*
19. μηκέτι ex te fructus nascatur in sempiternum, conf. *Marc. XI, 13.*
 Et ita significatus proprius etiam in priori propositione textus no-
 stri obtinet: *Christus non amplius moritur*, quia reverà fuit mortu-
 us: qui usus vulgaris propter rationes infra dandas non procedit,
 sed simplicissimè per non vertendū est: *Mors non dominabitur ei*; id
 quod duobus tantum parallelis illustro. *Act. XIII, 34. Job. XV, 15.* in
 priori hæc de Christo leguntur verba: ἀνέστησεν αὐτὸν (ὁ πατήρ) ἐκ νε-
 κρῶν μηκέτι μελλόντα ὑποσρέφειν εἰς διαφθοράν, i. e., *planè non rever-*
surum: vel rectius non perventurum in corruptionem. Siquidem vo-
 cabulum ὑποσρέφειν aliquo modo ad tempus, antecedens respicit:
 qui respectus tamen hic planè negandus, quia Christus nunquam
 in ulla corruptione fuit. Conf. *Psal. XVI, 10.* unde μηκέτι ὑπο-
 σρέφειν εἰς διαφθοράν idem est quam οὐκ ἰδεῖν διαφθοράν non vide-
 re seu experiri corruptionem. *Act. XIII, 34.* in posteriori loco *Job.*
XV, 15. ita loquitur Salvator ἐκέτι ὑμᾶς λέγω δέλεος: ὅτι ὁ δέλεος
 οὐκ οἶδε, τί ποιεῖ αὐτὸς ὁ κύριος. ὑμᾶς ἠείρηκα φίλος, ὅτι πάντα ἄηκ-
 σα ᾤσα τὰ πατρὸς μου ἐγνώρισα ὑμῖν. ubi ἐκέτι pro ἔχ non, usur-
 pari planum est. Nunquam enim Salvator discipulos suos vo-
 cavit servos, eo significatu, quo hoc nomen amicis contradistin-
 guitur, & timor servilis atque tyrannica coactio innuitur, sed sem-
 per familiarissimè cum illis tanquam amicus cum amicis colloca-
 tus est, ut patet ex *Luc. XII, 4.* interea eos à Domino suo servos,
 planè tamen alio significatu, ratione servitii atque debiti obsequii
 appellatos esse, negari nequit. *Matth. X, 24. 25. Job. XIII, 16. XV,*
20. Hunc itaque significatum in posteriori Propositione obtinere
 dicimus confirmante ac mirum in modum sententiam nostram il-
 lustrante Syro, dum vocem ἐκέτι nudè per **¶** exposuit. 4.) quod
 vocem ἀποθνήσκει moritur *Syrus* per participium **ΔΙΩ** interpre-
 tatus fuerit. Neque incongruum putamus si verbum præsentis
 temporis hoc loco pro futuro positum esse dicatur, quam enalla-
 gen in sacro Codice frequentissimam esse pii equidem scrutatores
 non ignorant, quapropter non opus erit, ut id ipsum allegatione lo-
 corum parallelorum diducatur. Conf. quæ §. antecedente de mor-
 te Christi dicta sunt; iisque tantum hoc adde quod Subiectum
 B 2 quod

quod mortis hujus voluntariæ Christus Θεάνθρωπος, Subjectum quo sola humana natura sit, tot tantisque fatigata passionibus atque cruciatibus. Conf. *Luc.* XXIII, 43. 46. & *Loca Classica*, quæ de fine mortis Christi tam cui, quam cujus ajunt *Ebr.* II, 14. 2. *Petr.* II, 1. *1. Cor.* II, 11. *Rom.* XIV, 15. *1. Tim.* II, 6. *1. Job.* II, 2. 2. *Cor.* V, 14. 15. *Mich.* VII, 29. *Dan.* IX, 24. *Os.* VI, 2.

§. 14. Circa posteriorem propositionem in genere observamus *Syrum* eandem cum priori mediante præfixo O copulasse, quæ conjunctio tametsi in Græco textu authentico non reperitur, procul dubio tamen à Paraphraste majoris perspicuitatis gratiâ non immerito fuit addita. Subjectum ergo Propositionis est *θάνατος*, quæ vox quomodo h.l. sit accipienda cuiusvis ex antecedentibus constare potest, (Homonymiam enim ejus aliàs ubivis obviam hâc vice non curamus) conf. 2. *Cor.* I, 10. *Apoc.* VI, 7. 2. *Sam.* XXIV, 14. *1. Par.* XXI, 12. *Jer.* XLIV, 13. ubi Ebræo *מת* respondet, notentur etiam phrasæ *γενεσθαι θανάτου* *Matth.* XVI, 28. *θωπεύει θανάτου* *Johi* II, 51, *ιδεὶν θάνατον*, *Luc.* II, 26.) Hæc mors in omnes homines lapsos ordinariè est propagata *Rom.* V. 12. VI. ult. vid. *Haræus in Vit. Sanct. ad XV. August. f. 505.* attamen quando de Christo dicitur, quod mortuus fuerit, factum id est, non ex naturæ necessitate sed voluntariâ Oeconomîâ & dispensatione; mortuus enim est non morte naturali sed violentâ. Unde errat *Salmero Tom. XIV. Opp. f. 249.* quando Christum à communi moriendi necessitate excipiendum neutiquam esse censet, dicens: *Quis ausit ullum hominem à communi mortis debito excipere, si nec Christus, nec beata Virgo, nec Johannes Baptista, nec Apostoli ab ea excepti fuerint? quod si quis excipiat Enoch & Eliam & dilectum Johannem facile respondebimus: tales nondum mortuos esse, morituros tamen suo tempore & quidem morte illustri & pretiosâ.* Quid de his verbis judicandum sit, quilibet videt.

§. 15. Prædicatum posterioris Propositionis *αὐτὸς ὅτι ἐστὶν ἄνθρωπος*, actum, objectum & adjunctum in se continet. Verum cum hoc pronomen Relativum præcedens subjectum *Χριστὸν* respicere cuiusvis pateat, non opus erit, quidquam ut afferatur; ita nec adjunctum explicatione indiget, cum ea suprâ jam fuerit occasione prioris, *ὅτι ἐστὶν*, in medium producta, adeò ut tantum ad actum respicien-

ciendum; Circa quem, si versionum collationem attendamus, præcipuè duo observationem merentur; 1.) circa vocem; dum vox *κυριεύει* à Syro iterum per Participium præsentis temporis

ܕܢܝܘܢܐ vertitur 2.) circa Phrasin; quando enim in textu authentico *κυριεύειν* cum casu secundo *αὐτῶ* construitur, Syriacum

ܕܢܝܘܢܐ construitur cum *ܫܝܢܐ* conf. *Dan. IV, 22.* ubi

verba Chaldaica *ܢܝܘܢܐ ܫܝܢܐ LXX.* explicant per *κυριεύει ὁ ὕψιστος*.

Hanc eandem vocem, ut alia parallela brevioris studio silentio prætereamus, Paulus usurpat infra *vers. 14. hujus Cap. VI. ad Rom.*

ἀμαρτία ὑμῶν ἔκλυται, notaturque eadem dominium maximum, quò quis subjectus Domino absolutè imperanti in omnibus parere tenetur;

Tale verò Dominium in Christum morti Apostolus Paulus omninò denegat, quando dicit: Mors Christo neququam dominata est neque jam dominatur, neque dominabitur in

perpetuas æternitates. Ipse enim Salvator dulcissimus *εἰς τὸ τοῦ ἀπέθανε καὶ ἀνέστη καὶ ἀνέβησεν ἵνα καὶ νεκρῶν καὶ ζώντων κυριεύει;*

de composito verbo *κατακυριεύειν* conf. *Matth. XX, 25. Act. XIX, 15. S. 16.*

Atque hæc circa Analysin verborum horum Logico-Philologico-Theologicam sufficere possunt. Jam ad Quæstionem principalem accedimus: Utrum Mors Christo dominata fuerit?

Tametsi verò circa verba, quorum singulorum sensus in superioribus satis abundeque sit propositus & declaratus, nihil erit quod monendum sit: quasdam tamen distinctiones præmitteremus,

quæ ad enucleationem status controversiæ maximam partem facere videntur. Distinctio prima est inter Dominatum respectu Christi voluntarium & non voluntarium.

Voluntarius nonnullis dicitur, quo Christus se sponte Dominio mortis subjecerit; Non voluntarius autem, quo à morte quasi coactus fuerit, ut ipsius Dominio necessariò esset subjectus.

Secunda Distinctio est inter Dominium mortis perpetuum & temporarium. Non prius sed posterius in statu Exinanitionis in Christum cecidisse nonnulli arbitrantur.

Tertia Distinctio est inter dominium, quod respicit liberationem pœnæ seu reatus, & inter Dominium, cui aliquis se submittere cogitur propter obedientiam servilem & quod spectatur in executione vitiositatis ac servilis obedientiæ debitionem importat.

Illud, non verò hoc Christo tribuendum, nonnulli putant. Sed rectius statuemus Christum ab omni mortis dominio esse absol- vendum, vel mortem Christo nunquam ullo dominio domina- tam fuisse. Quam sententiam statuinamus sequentibus argu- mentis.

§. 17. Quicumque 1.) homines ab inferno liberavit & à mor- te redemit, ita ut morti venenum atque inferno pestis fuerit, ei mors dominari non potuit. Atqui Christus Salvator noster ho- mines ab inferno liberavit & à morte redemit, (ubi nota empha- ses radicum מָוֶת conf. *Psalm. CXXX. ult.* & מָוֶת conf. *Job. XIX, 25.*) ita quidem ut morti venenum atque inferno pestis fue- rit. Vi Loci Classici *Os. XIII, 14.* [E. Mors ei dominari non po- tuit; junge notabilia loca *1. Cor. XV, 54. 55. 56. 57.* *2. Tim. I, 10.* *Es. XXV, 8.* & elegantissima dicta præsentem materiam egregie illu- strantia *Augustin. lib. I. de Consol. Mortis.* *Athanas. de Pass. & Cruc. Domini, Damasc. lib. 3. de Orthodox. fid. c. 27.* & *c. B. Balth. Menzer. in de- fens. Collat. August. Confess. Disp. 7. §. 22.*

§. 18. 2.) A quocunque nemo animam tollere potuit, ille mortis Dominio obnoxius non fuit. Atqui à Christo nemo ani- mam tollere potuit; E. Mortis Dominie obnoxius non fuit. Major ex Terminis constat; Minor verò habetur *Job. X, 17. 18.* ubi hæc emphatica Christi verba habentur: $\text{Εγὼ τίθηναι τὴν ψυ- χὴν μου, ἵνα πάλιν λάβω αὐτὴν. Οὐδεὶς ἀρει αὐτὴν ἀπ' ἐμοῦ, ἀλλ' ἐγὼ τίθηναι αὐτὴν ἀπ' ἐμαυτοῦ: ἔξοσίαν ἔχω θεῖναι αὐτὴν, καὶ ἔξοσίαν ἔχω πάλιν λαβεῖν αὐτὴν: ταύτην τὴν ἐντολὴν ἔλαβον πατρὸς μου.$

§. 19. 3.) Quicumque ipse Spiritum suum Patri sponte tradi- dit, illi mors non est dominata. Atqui Filius ipse suum Spiritum Patri sponte tradidit; E. Illi mors non est dominata. Major Propositio ex eo roboratur: quia Spiritum suum sponte tradere, cum Dominio mortis stare nequit; Minor patet *Job. XIX, 30.* $\text{κλίνας τὴν κεφαλὴν παρέδωκε τὸ πνεῦμα.}$

§. 20. 4.) Quemcunque κρατεῖσθαι ὑπὸ τῆς θανάτου ἢ δυνα- τὸν fuit, illi mors non est dominata (id enim κρατεῖν proprie in- nuit;) Atqui Christum κρατεῖσθαι ὑπὸ τῆς θανάτου ἢ δυνατὸν fuit; E. Illi Mors non est dominata; *Act. II, 24.*

§. 21.

§. 21. 5.) Quicumque ab omnibus peccatoribus segregatus
διὰ θανάτου per mortem destruxit seu abolevit eum, qui mortis
habebat κρατος robur seu potentiam h.e. Diabolum, illum in ipsâ
suâ morte sub Diaboli ac mortis imperio ac Dominio fuisse, dici
non potest, Atqui Christus ab omnibus peccatoribus segregatus
διὰ θανάτου per mortem suam destruxit atque abolevit eum, qui
mortis habebat κρατος h.e. Diabolum, vi asserti Paulini *Ebr. II,*
14. E. in ipsâ suâ morte sub Diaboli ac mortis imperio & Domi-
nio fuisse dici non potest. Repugnat enim, esse in morte sub Do-
minio mortis, & per illam ipsam mortem κρατος seu robur & Do-
minium mortis destruxisse. Repugnat victorem esse sub Domi-
nio & Imperio victi.

§. 22. 6.) Quicumque interfectus dicitur & est ἀρχηγός τῆς ζω-
ῆς, ille non est sub imperio mortis. Atqui Christus etiam inter-
fectus dicitur ἀρχηγός τῆς ζωῆς, Dux & Author vitæ. E. non fuit
sub imperio mortis. Major clara est: quia si Christus sub Domi-
nio mortis per triduum extitisset, Autor vitæ tum temporis verè
dici ac esse non potuisset. Minor extat in Terminis *Act. III, 15.*

§. 23. 7) In quocumque Princeps mundi non habuit quic-
quam, ille neque Dominio mortis subjectus fuit. Atqui in Chri-
sto princeps mundi non habuit quicquam; E. neque Dominio
mortis subjectus fuit. Major patet: quia princeps mundi Satan
dominatur per mortem *Hebr. II, 14.* Si ergò Diabolus non habet
quicquam imperii ac Domini in Christum; E. nec mors habet,
& sic Christo nullo modo dominata fuit. Minor autem constat ex
Job. XIV, 30. ubi Salvator ipse inquit: Ἐρχεται ὁ τὸ κόσμος τῶν
ἀρχῶν καὶ ἐν ἐμοὶ οὐκ ἔχει ἰσχύον.

§. 24. 8.) Si Mors ne piis quidem & eorum corporibus in
sepulchris suaviter quasi dormientibus & à laboribus suis requi-
escentibus dominatur, multo minus Christo mortuo, piorum Ca-
piti, Domino gloriæ ac vitæ Autori eam dominatam esse, dici pot-
est. Atqui verum est prius, E. & posterius. Consequentia cla-
ra est. Prius autem confirmatur quia pii α) constituti sint βασι-
λεῖς reges, *Apoc. I, 6.* β) redempti sunt à timore & δαλία Mortis,
Ebr. II, 15. γ) vivunt etsi moriantur *Job XI, 25. 26.* δ) quia Chri-
stus ipsorum etiam mortuorum Dominus est, *Rom. XIV, 9.* in cujus
Dominii

Dominii participationem mortem à se devictam nullatenus admittit; conf. *Es.* XXVI, 19. *Apoc.* VI, 11. *Psal.* I, 21. *Apoc.* II, 11. *Psal.* LXXII, 19. CXVI, 15. Impiorum verò corpora in sepulchris jacentia sub imperio & dominio mortis manent, tandem cum animabus rursus unienda, ut cæteris pœnis in inferno afficiantur. Non dormiunt suaviter ut pii, sed tristibus quasi insomniis exagitantur & turbantur; non in arce custodiuntur, ut inde deducantur honorificè ad magnum convivium, sed potius ut trahantur ad tristissimum supplicium; quæ duæ similitudines negotium hoc mirum in modum illustrant vid. *Glass.* c. l. p. 703.

§. 25. 9.) Quicumque in cruce sublime opus nostræ Redemptionis perfecit, delevitque chirographum, quod nobis adversabatur, & omnes cum Deo inimicitias sustulit è medio, omniaque reconciliavit, ille sub imperio & Dominio mortis non fuit; Atqui Christus hæc omnia præstitit, vi dictorum *Class. Rom.* V, 10. *Es.* LIII, 11. *Col.* I, 20. 22. II, 14. E. sub imperio atque Dominio mortis non fuit.

§. 26. 10.) Quicumque suâ sepulturâ, postquam peccata sepulta fuerunt, nostra sepulchra sanctificavit, & ipse mortuus in sepulchro quievit, ille Dominio mortis nullo modo fuit obnoxius. Atqui Christus suâ sepulturâ, postquam peccata nostra sepulta fuerunt, nostra sepulchra sanctificavit; E. Minor confirmatur ex *Mich.* VII, 19.

§. 27. Minus itaque accuratè procedunt, qui Christum morti obnoxium, & ab eâ, licet ad tempus saltem victum fuisse asserunt, quia ita piis omne fermè solatium eripitur. Memoratur quidem in Christianorum cœtu pugna Christi & mortis, sed victoriam mortis & imperium in Christum in sepulchro placidè quiescentem pii ignorant. Applicari hîc potest typus Simsonis, *Jud.* XVI, 30.

§. 28. Hæc argumenta sententiam orthodoxam confirmantia sufficiant: tametsi nullo negotio plura in medium proferri potuissent. Sed accedendum est etiam ad secus sentientes, eorumque argumenta ponderanda, & pro virili refellenda.

§. 29. Imprimis verò hîc allegandus est ex Calvinianorum grege, *Urbanus Pierius, Bremensis Calvinista, qui in Defens. Orthodox. Conf.* p. 125. statuit expressis verbis: Christum per triduum illud, quod

quod in sepulchro exegit, fuisse sub imperio & dominio mortis, quod in triduum usque mors continuerit. In specie verò de Christi descensu ad inferos acturus recenset primò aliorum opiniones & mox suam subjungit, quod esse cum inferis sit esse cum mortuis & in morte ipsa, h. e. sub dominio atque imperio mortis, & sepulchro vi mortis clausum & vinctum detineri & obnoxium fieri &c.

§. 30. Hoc autem ideo statuit, ut obtineat, descensum Christi ad inferos denotare tantum conditionem mortuorum, quam Christus subierit, & in sepulchro vi mortis clausus & vinctus & captivus detentus fuerit.

§. 31. Verum quam aliena à Scripturâ S. sit hæc de Christi ad inferos descensu doctrina, cuilibet vel solum locum Petrinum *1. Pet. III, 19. 20.* accuratiùs paulo contemplanti patere arbitramur. Hoc tantum subnecto argumentum: Si descensus ad inferos est commigratio ex hoc orbe viventium ad mortuos eorumque conditionis assumptio, sequitur Christum statim post mortem in arâ crucis, antequam sepeliretur, ad inferos descendisse; quod tamen ordini articulorum Symbol. Apost. adversatur, ubi descensus sepulturæ postponitur. Quamprimum enim anima à corpore discedit, homo non amplius est inter vivos, sed statum defunctorum subit. Conf. *Luc. XVI, 22. 23.* Simplici igitur fide hunc de descensu Christi articulum potius credamus, licet tempus ejus exactè sciri vel modus indagari à nobis in hac mortalitate non possit. Sufficit, quod sciamus Christum verè descendisse ad infernum, ut victorem potentissimum mortis, peccati & diaboli, & ostendisse Spiritibus infernalibus ut triumphatorem maximum vid. *Os. XIII, 14. 1. Cor. XV, 54. Luc. XI, 21. Coll. II, 15. Apoc. I, 18.* Sed hæc *ὡς ἐν παρόδῳ*. De hæc enim Controversia agere, nostri instituti non permittit ratio. Attendendum potius est ad Adversarii ejusque Affectuum argumenta, quibus sententiam suam heterodoxam de dominio mortis in Christum stabilire conantur, & videndum, quò pacto ad ea responderi possit.

§. 32. Primum Argumentum hoc est:

Quicumque verè mortuus est, illi mors est dominata,

Atqui Christus verè mortuus est,

E. Mors Christo verè dominata est.

C

At

At quis non videt maximam imbecillitatem majoris Propositionis? Negatur enim & pernegatur consequentia. Hoc equidem certum ac indubitatum est, Christum verè esse mortuum animâ è corpore egressâ; atque in sepulchro ad tertiam usque diem suavissimè quievissè. Sed hinc nullatenus colligi potest, Christum fuisse sub imperio atque dominio mortis.

§. 33. Argumentum secundum ita se habet: Quodcunque opinio Judæorum aliorumque quamplurimorum, nec non metus Apostolorum Christi confirmat, illud veritati videtur consentaneum; Atqui Christum à morte planè esse victum, absorptum & oppressum, opinio Judæorum aliorumque, nec non metus Apostolorum Christi confirmat, Ergò Resp. iterum negando consequentiam in majori Propositione; facile concedimus Judæorum aliorumque hominum hanc fuisse opinionem, imo & discipulorum Christi metum, esse Salvatorem à morte planè divictum; sed ab opinione mortalium ad ipsam rei veritatem quam firma sit collectio, quilibet videt. Opinionem etiam illam falsissimam fuisse, postmodum eventus ostendit.

§. 34. Præcipuum argumentum desumptum est ex nostro textu, ex quo ita colligunt:

Quodcunque Apostolus Paulus asserit, illud pro vero est habendum,

Atqui mortem Christo dominatam esse, Apostolus Paulus asserit,

E. Illud pro vero est habendum.

Verum enimvero explicationem verborum Paulinorum orthodoxam superius datam contemplanti planum fiet, Minorem Propositionem minus esse veram. Sunt quidam, qui respondent Apostolum loqui ex *ἔπολειψε καὶ δοκῆσει ἀνθρώπων*, non quod Mors Christo verè dominata fuerit, sed quod exterius ita apparuerit, quasi mors ei dominaretur. Verum rectius Respondemus, particulum *οὐκ ἔτι* minimè habere respectum ad id, quod antea præcesserit, sed simplicem h.l. denotare negationem, ut sensus sit: Mors planè non dominabitur ei. Conf. ea quæ superius in Analysis fuerunt allegata; deinde versu subsequente 10. additur ab Apostolo explicatio: *Ὁ γὰρ ἀπέθανε, τῇ ἀμαρτίᾳ ἀπέθανεν ἐφ' ἁπάτας:*
ὁ δὲ

ὁ δὲ ζῆ, ζῆ τῷ Θεῷ. Postquam ergò peccatum fuit expiatum, non
amplius opus est, ut Christus moriatur, qui semel est propter pec-
cata nostra mortuus, & sic ubi nullum est peccatum, ibi quoque
nullum est mortis dominium, at in cruce Christus expiavit san-
guine suo omnia peccata totius mundi *Job. XIX, 30.* In crucis arâ
Salvator noster maximos mortis dolores (sine ullo tamen mortis
dominio) sensit, quales nos propter innumera peccata nostra fer-
re debebamus. Tantum ergo abest, ut in sepulchro ulli dolori ob-
noxius fuerit, ut potius placidissimè requieverit. Clarum enim
est testimonium ipsius Salvatoris, אף בשרי ישכן לבטח *Psal. m.*
XVI, 9. 10. quod Act. II, 24. 26. 27. à Petro repetitur. Animam
certè Christi omnes cruciatus ante discessum à corpore vicissè, ex
eo colligitur, quod in manus Dei suscepta & in Paradiso fuerit.
Sed cruciatibus vexari ac in Paradiso versari, simul de uno eo-
demque subjecto affirmari non potest, *Luc. XXIII, 43. 46.* Equi-
dem si Judicium rationis consulamus, quod corpus Christi attinet,
non incommode affirmari videtur, in sepulchro per triduum mor-
tis sub imperio & dominio mortis fuisse. Sed rationi scriptura
contradicit, asserens Christum per mortem eum destruxisse, qui
mortis habebat imperium, *Ebr. II, 14.* repete, & hic denuò applica
loca superius allegata, & consule iterum *B. D. Menzerum c. l. pag. 415.*
416. qui hæc subjungit: *Jacuit corpus Christi mortuum in sepulchro*
non sub imperio mortis, sed quietum, tranquillum sabbatum agens
post repletum opus redemptionis: sicut Deus quievissè dicitur à
condito mundo die septimâ Gen. II, 2. & hinc dependet, quod
de corporibus sanctorum dicitur, quod requiescant in cubilibus
suis, Es. XXVI, 19. 20. Apoc. XIV, 13.

§. 35. Tandem pro adversâ sententiâ regeri solet; quod ad
satisfactionem Christi plenam pertinuerit, ut mors ipsi tanquam
Auctori vitæ dominata sit, ex quo dominio mortis in Salvatorem
ipse maledictum pro nobis factus & inter peccatores reputatus
fuerit. At enimverò sufficit, quod cum morte pugnaverit, ean-
demque tandem majesticè, doloribus ejus superatis, devicerit.
Deinde nulla videtur esse consequentia: Quicumque pro nobis
factus est maledictum, atque inter peccatores reputatus est, illi
mors fuit dominata. Id tantum exinde sequitur, quod illi cum

morte dimicandum fuerit. Conf. *Gal. III, 13.* ubi clarè ratio adiun-
gitur, cur Christus pro nobis factus esse dicatur maledictum:
non quod sub imperio atque dominio mortis fuerit; sed quod pe-
penderit in cruce *ἡ γράψαι γδ: Ἐπιτάφια* & *πᾶς ὁ κρεμάμε-
νος ἐπὶ ξύλων.* Dum verò Salvator peccato mortuus est, & lan-
guores nostros tulit & infirmitates nostras portavit, solvitque
quod non rapuit *Psal. LXIX.* non dominio mortis subiectus
fuit, quia caro ejus *ἀναμάτητος* cum *λόγῳ* vitæ semper per-
sonaliter fuit unita, sed tantum morte suâ peccata nostra expi-
avit.

§. 36. Atque hæc sunt quæ occasione dicti Paulini superius
explicati de hæc quæstione in medium proferre potui. Spero
L. B. conatibus juvenilibus fore contentum, & mecum tribu-
turum esse.

SOLI DEO GLORIAM.

Additamentum.

ANNO M DC XVII. prodiit *Hugon. Grotii Defensio
fidei Catholicae de satisfactione Christi adversus Faustum So-
cinum*; Libellus non minus utilis quàm eruditus, & cum
applausu Catholicæ Ecclesiæ passim susceptus. Elapso sex-
ennio, A. nimir. XXIII. *Responsionem* illi suam opposuit
Joannes Crellius, Ecclesiæ Racoviensis Minister, Socini de gre-
ge nulli secundus. Huic non erubuit per Epistolam gra-
tias agere Grotius, pro tam egregio, scilicet, humanita-
tis officio ac pietatis specimine; tantum abest, ut De-
fensionem suam ulterius defenderit, aut ad exceptiones
Crellii regesserit quidquam. Leguntur hæc ejus literæ
tum *in Operibus Crellii Tom. I. pag. 232.* tum *in Volum. Episto-
larum Hug. Grotii pag. 103. 104.* Lutetiis Parisiorum Raco-
viam Polonorum missæ, hisque Adversarii Patronum
blan-

blanditiis demulcentes: Libro Tuo, quo ad eum, quem ego quondam scripseram, Eruditissime Crelli, respondisti, adeò offensus non fui, ut etiam gratias Tibi tunc intra animum meum egerim, nunc autem & hisce agam literis: Primum, quod non tantum humane, sed & officiosè valde mecum egeris; ita ut queri nihil possim, nisi quod in me predicando modum interdum excedis: Deinde, quod multa me docueris, partim jucunda scitu, partim utilia, meque exemplo tuo excitaveris, ad penitus expendendum sensus Sacrorum Librorum. Scribat autem hæc post integrum octennium Grotius, ex quo Crellii legerat Responsionem; quò tardius, eò benignius, haud aliter ac si moram non nisi adulatione compensare potuisset. Id verò cum ab aliis vitio sibi dari percepisset, excusavit se, post novum septennium, A. XXXIIX. apud amantissimum sui Gerardum Jo. Vossium: Crellio, inquit, quod non operosè respondi, in eo fecisse me prudenter existimo. Quid enim opus, benè & satis liberè dicta repeti? Si non possit ipse probare, injustum esse, ut volens aliquis pro altero pœnas ferat, quod nunquam probabit, & contrarium omnium gentium Sapientibus placuisse, tum in ipso Libro de Satisfactione ostendi, tum post Crellii Librum editum, in meis de Jure Belli ac Pacis, titulo de pœnarum communiione §. 11. ampliusque docebo ex multis admodum Hebræorum testimoniis ad Matth. XX, 28. sequitur omninò, nullam fuisse causam aut Socino aut Crellio, cur à verborum λόγος, placaminis, expiationis, redemptionis proprietate discederet, manifestissimumque piæ Antiquitatis consensum desereret. Est verò hæc inter Epistolas Grotii post octingentissimam tertia & octogesima, Volum. pag. 389. sequ. imò etiam post millesimam nonagesima sexta pag. 492. ubi tanquam crambe bis cocta, nescio cujus culpa, denuò apponitur. Num verò satisfaciat Lectori, Grotiumque

apud eum fatis excuset, iudicio ejus relinquimus. No-
bis sanè, ut ne quid dissimulemus, per hanc non desinit
esse bonæ causæ desertor pessimus.

Ad Eximium

Dominum Respondentem Autorem
hujus Disputationis doctissimum.

Hòc opus est Domino, cui non dominabitur
unquam

Mors; cujus vita est vita tua atque salus.

Hunc jam describis; sed quod describere, quodque
Concelebrare queas, hoc opus est Domini.

Gratulabundus ex animo faciebat

PRÆSES.

Wenn Er/ geehrter Freund / mit Mund und
Feder zeigt/ (fan/

Was unser Jesus nun im Stand der Hoheit
Wie ietzt der Todt für Ihm das wilde Scepter
beuget /

Und dieser Herrschafft Er hinfort nicht unter-
than:

So zeuget er zugleich von seinen hohen Gaben/
Und weist / daß sein Geist sich jenem Tod ent-
reißt/

Der auch lebendige heist bey der Welt vergraben/
Den man Unwissenheit und nicht bekand seyn
heist.

Der

Der Höchste lasse denn auch dieses neue Leben/
Worein durch seinen Fleiß Er dießmal sich ver-
setzt /
Ihm künfftig solchen Ruhm und Lebens = Früchte
geben/
Die auch kein Todt benimmt/ und keine Zeit
verleßt.

Mit diesen wenigen doch wohlgemeinten Glückwün-
schungs = Worten solte seinem hochzuehrenden
Freunde und werthgeschätzten Lands = Mann/
als Er vor seiner Abreise eine rühmliche Probe
des bisanhero gepflognen Fleißes an Tag le-
gen wolte/ gebührend auffwarten

M. Christian Crumbholz.

Seht Kinder dieser Welt/ergökt das Licht der Augen/
Liebt Fleisches = Lust/ und laßt euch Hoffarts = Wust nur
taugen/

Wer allhier seinen Gott mit ernst vor Augen hat/
Der liebt ihn auch allein/ und zeigt in der that
Daß er ein solcher sey/ wie er sich rühmt zu nennen/
Ein Christi wahres Kind; den strebt er zu bekennen
Vor Gott und aller Welt: Sein Creuz und Todes = pein
Muß seinem Herzen stets das höchste wissen seyn.
Wir könnens hier von dir/mein Werthgeschäzter/lernen/
Wie weit wir uns von Gott/ der Welt nach/ zu entfernen
Als Christen schuldig sind; nicht/ nehmlich/ einen Schritt/
Denn anders wird uns selbst von Christo sprechen quit.
Du strit' st vor Christi Tod und willst dadurch bezeigen
Als durch den ersten Satz/ du werdest einst zu schweigen
Mit nichten nehmen vor/ vor Christi Ehr und Lehr
(Wenns Teufel und der Welt noch so zuwider wär/)




Auch


Auch biß aufs Blut/ ja selbst biß auf den Tod zu kämpffen
 Du werdest dich bemühen was widerspricht zu dämpffen
 In nunmehr künfftiger Zeit. Deswegen wünsch ich Glück
 Zu dem/ und ferner noch des Himmels Gnaden-blick!
 So wird/wie ist geschicht/das Vaterland sich freuen/
 Den werthen Eltern wird ihr Herzenswunsch gedenen
 Und das was sie gehofft im Werke werden wahr/
 Gott gebe daß es nur noch werd ein kurzes Jahr!
 Und also ziehstu fort/ich aber muß noch bleiben
 Und mein Studieren hier mit Gott noch weiter treiben/
 Des Höchsten Huld verleh/ daß beydes wohl gescheh/
 Daß reis-und bleiben recht und wohl von statten geh!
 Sprich frölich unsre Stadt/ find' frölich unsre lieben
 Kein unfall müße mir dich/ Herzens-Freund / betrüben/
 Damit ich hören kan/ ich soll dich balde sehn
 Als einen Priester hin zu den Altare gehn!

Dem Herrn Respondenti seinem liebwer-
 thesten Landsmanne schriebs Glück-
 wünschend zu ehren


Caspar Althannß/ Bischoffvv.
 D. H. S. B.


ERRATA.

§. 1. lin. penult. Δαδ §. 2 l. 19. γνώσκοντες lin. 25. videns Apo-
 stolus l. 40. fuerunt §. 8. lin. 5.  lin. 20.  §. 11. lin. 9.
 contra Erasm. Johannem. §. 12. lin. 2. plus vice simplici nude lin. 20.
 de §. 13. lin. 4. interserunt  lin. 14. vertenti lin. 31. usus
 vulgaris in posteriori propositione lin. 18. pii scripturæ scrutatores
 §. 15. lin. penult. ἀνέστη καὶ ἀνέστησεν §. 16. l. 5. fuit l. 14. exinanitionis
 §. 25. chirographum.









B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

3

Q. D. B. V.

estio Theologica

IM MORS

STO DOMI-

TA FUERIT?

caſione Rom. VI, 9.

everendæ Facult. Theol.

permiſſu

ub PRÆSIDIO

rendi, Ampliſſimi, Excellentiſſimique

LENTINI ALBERTI,

ii & Theologicæ Facultatis Aſſeſſoris,

Collegii B. Mariæ Virginis Collegiati, ut &

e Senioris, Alumnorumque Electora-

ri, de his aliisque officiis me-

ritiſſimi,

roni & Præceptoris ſui

ſervantiâ atatem devenerandi

LIPSIÆ

n Auditorio Paulino

ji A. Chriſti clc lcc LXXXVIII.

horis conſuetis

P. P.

utore RESPONDENTE

o Quenmüllern/ Biſchoffvv.

CHRISTOPHORI GUNTHERI.

T 160